



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 19. Continuatio controversiæ inter PP. Dominicanos, & Jesuitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1600.

tenti Hugonottæ Salmurium ad Conventum suum, quem spreto Regis interdicto, & violata Nannetensis edicti fide adhuc continuabant, suos ablegabant Deputatos, ex quorum consilio Hugonottæ, ac præprimis Bullionius, & Tremollius Duces contra Regis mandatum in Occidaniam transmissum tertiam vice reclamabant: verum Rex eorum pertinaciæ cedere haud consultus ratus sibi omnino obtemperari voluit.

§. XIX.

*Continuatio controversiæ inter PP. Dominicanos, & Jesuitas.*

MS. p. 163.  
apud Hyac.  
Serr. appen.  
fol. 91.  
Hist. Congr.  
l. 2. c. 9.

Cum anno priori Patres Societatis Prædicatorum responsa ad tres quæstiones a Cardinali Madrutio propositas contrario responso confutassent, mox Dominicani hoc anno die duodecima Februarii illorum adnotationes impugnabant, nondum tamen taceantibus Jesuitis ipsemet Madrutius Cardinalis utriusque partis responsa discutens suum desuper iudicium pronuntiabat, & quidem sexdecim Patrum Societatis propositiones referens in eis partim falsa, partim minus necessaria, aut sinistre intellecta proferri censens de doctrina autem physici Prædeterminationis sequens ferebat iudicium: *Ea, si juste consideretur, divina, summa,*

Et infallibili providentiæ, ac incomprehen- **Sæcul.XVI.**  
 sibili ejus sapientiæ, potentiæ, Et volunta- **A C. 1600.**  
 ti maxime congruit, unde nec nova dici  
 potest, nec ullo pacto cum falsis hæretico-  
 rum dogmatibus convenit, aut illis deser-  
 vit &c. Porro scriptum hoc testimo-  
 nium idem Cardinalis morti proximus  
 summo Pontifici Clementi VIII. consi-  
 gnari voluit: illud quoque una cum a-  
 liis ejusdem Cardinalis commentariis  
 in hac controversia conscriptis Romæ  
 in Angelica Fratrum Augustinianorum  
 Bibliotheca exstat, cui fasciculo se-  
 quens Gregorii Coronelli, qui Congre-  
 gationibus a secretis erat, epigraphæ  
 inscripta legitur: *Hæc omnia scripta  
 spectant ad causam controversiæ inter Pa-  
 tres Dominicanos, Et Patres Societatis,  
 ex quibus facile potest constare, quodnam  
 fuerit hac in re judicium illustrissimi Car-  
 dinalis Madrutii.* Hoc quidem testimo- **Lib.3.cap.15**  
 nium Livinus de Meyer in sua contro-  
 versiarum historia in dubium vocat, i-  
 psius tamen argumenta jam satis, su-  
 perque confutata fuere ab Authore hi-  
 storix Congregationum lib. 5. Sect. 4.  
 c.2. Verum utut res se habuerit, id o-  
 mnino certum est, quod Philippus III.  
 Hispaniæ Rex per Sueffæ Ducem Ora-  
 torem suum die decima sexta Aprilis  
 præfati examinis sententiam Pontificio  
 Diplomate quantocius confirmari effla-  
 gita-

Sæcul. XVI  
A. C. 1600.

gitarit, cujus tamen rei executionem præpediebat intempestiva Cardinalis Madrutii mors.

§. XX.

*Madrutii Cardinalis obitus.*

*Ciac. tom. 3.  
in Vit. Pii  
IV. p. 932.  
Pallav. 65  
Sarp. in Hist.  
Conc. Trid.*

Die vigesima Aprilis hoc anno nonne maximo omnium luctu obiit Ludovicus Madrutius natione Germanus patria Tridentinus, nobilissimo generis ortus, qui juvenis adhuc gravissimis negotiis, rebusque prospere expediendis maturus, propriæ potius virtutis suffragio, quam Majorum suorum meritis a Pio IV. Diaconus Cardinalis titulo sancti Callisti, absens licet, eligebatur, sub quo etiam Pontifice Episcopus Tridentinus Concilio Tridentino interfuit, ubi libere sententiam suam de usu calicis, & matrimoniis clandestinis edicebat, ac varia negotia cum Lotharingio componens, demum a Cæsare Oenipontum accersebatur, Tridento die decima septima Februarii profectus, eo autem reversus, atque a Gregorio XIII. in Germaniam ad Comitia Augustana tanquam Sedis Apostolicæ Legatus a latere decretus in maximis fidei Christianæ negotiis utilissimam præstabat operam: postea ab eodem Pontifice rursus sacre Sedis Commissarius, ac hæreticæ pravitatis Inquisitor in Germaniam ablegatus